



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Epistola III. Nicolai Papae II. Ad Evmdem. Monet vt ob damna personis & rebus Virdunensis ecclesiae illata eidem debite satisfaciat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

cite. Non enim ob hoc promotus est, vt sit episcopus, vt beatus Gregorius dicit, sed vt fiat lupus, & sanctæ ecclesiæ inuasor, & detestandus hæreticus. Siluaneætenfi enim vestro suffraganeo episcopo, si eum pecuniam dedisse præsciuit, & vestrum assensum in maledictionis herede benedicendo non habuit, similiter omne episcopale officium, vsquedum ad prædictam Synodum veniat, & nobis & tibi digne satisfaciat, beati apostoli Petri auctoritate interdicite.

EPISTOLA III.
NICOLAI PAPÆ II.

AD EVMDEM.

Monet vt ob damna personis & rebus Virdunensis ecclesiæ illata eidem debite satisfaciat.

Nicolaus episcopus seruus seruorum Dei Geruasio Rhemensis ecclesiæ archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

QVONIAM nobis commissum est, & auctoritate beati Petri traditum, supra quem fundamentum vniuersalis ecclesiæ solidatum est, quatenus & errata corrigamus, & membra nostro capiti coherentia, ne dissonent, studeamus, tibi, vtpote velut de nostris & sanctæ Romanæ ecclesiæ membris, paterne intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, vniuersalis videlicet ecclesiæ, conclusum esse speramus; ne Virdunensi ecclesiæ quæ nobis commissa est cum fratribus, quidquam iniuriæ tam per te, quam per tuos inferre amodo patiaris. Quod autem contra eiusdem ecclesiæ fratres nunc nouiter & tu & tui damni & iniuriæ intulistis, communiter & sanctæ ecclesiæ Romanæ causa, & nostri amore emendare te, omni occasione remota, admonendo iubemus, hoc est prædam de Postuiler, quæ potestati tuæ contigit, & de Mecla, quam Engobrandus deprædatus est, prædæ, cuius numerus infra scriptus est, ducenta sexaginta quatuor animalia, clericos autem de eadem ecclesia canonicos, nulla interueniente mora, recludi a captura præcipias, vt pro hac & prædictis rebus studiose peractis, & gratiam apostolorum principis & nostram habere promerearis.